

Sancti Damiani. et omnium sanctorum. quorum sollemni
hodie in conspectu tue maiestatis. re-
bratur. domine deus noster tota in diem terrarum
omnium sanctorum tuorum quorum meritis precibus
contendas. ut in omnibus protectionibus tue rem-
niamur auxilio. **I**n eundem christum dominum nostrum.
Ante igitur oblationem servitutis nostre
cuncte familie tue. **Q**uesumus domine. ut pla-
cipias. dies quoque nostrorum in tua pace di-
as. atque ab eterna damnatione nos tri-
lectorum tuorum iubeas grege numerari. **P**
dominum nostrum. **Q**uia oblationem tuam iuris
omnibus que. benedicta. **A**ssumpta. **A**
rationabile. acceptabile que face-
meris. ut nobis. corpus. **E**t sanguis. **A**
delectissimum filii tui domini nostri ihesu christi

MS 612

Sammelband

Ausg. 1. Bd.

Programma

In funere

IOANNIS HENRICI
LOTICHII,

Elegantissimi ingenii, & summæ expe-
ctationis pueruli

P. P.

IN ACADEMIA IULIA.



HELMAESTADI,

Typis heredum IACOBI LUCI,

ANNO MDCLXXI,

57.




PRORECTOR ET SENATUS
ACAD. IULIAE STUDIO
ADOLESCENTIBUS

S. D.

Humanitatis plenissimum est magni Apostoli præceptum, quo Christianos, id est, veræ pietatis & sanctimonix cultores iubet χαίρειν μετ' χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετ' κλαιόντων: gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Cum enim vita hominis universa aut secundis rebus lætisq; , aut adversis ac tristibus contineatur, nemo nostrum est, qui ignoret, illarum fructum mirificè augeri, si non desint, qui bonis nostris æquè ac nos gaudeant; harum vim debilitari ac minui, si qui partem in se doloris transferant, & nostris casibus non minus prope quàm ipsi nos, afficiantur. Par itaq; est, cum, qui didicit, non sibi se natum soli, sed in commune, si quid possit, utilitatis afferre, & societati mortalium servire debere, utroque tempore aliorum, præsertim familiarium & amicorum, casibus moveri. Quod cum ita sit, non dubitamus, quin viri boni atq; officiosi, & quod rei caput, veræ pietatis & non simulatæ studiosi, carissimi collegæ nostri, Cl. V. *Ioannis Lotichij*, U. I. D. eiusq; conjugis, honestissimæ foeminx, vicem omnes doleant. Qui, ut plerisq; vestrum jam fortè non ignotum est, hodie post horam XII. funus ducent *Ioannis Henrici*, carissimi filioli sui primogeniti. Is cum anno dō 16c XVII. die X. Maij, in hanc lucem editus esset, die XII. hujus mensis, circa mediam noctem, quo eodem tempore natus erat, pie inprimis

ac

1771 del 16c 0111A

ac placidè exspiravit. Cujus obitum etsi mæstissimi parentes ita moderatè sua sponte ferunt, ut ipsorum pietate dignum est, tamen, quod quivis intelligens facile existimabit, non possunt tam acerbo atq; immiti vulnere non graviter dolere. Quod si quis vetet, aut rectum non putet, is verò humanitatis omnis expers, & naturæ legum prorsus ignarus non injuria censeatur. Mortalem se genuisse, quod de suo olim dixisse perhibetur Xenophon, non ignorat pater: nec mater, editum ab se hominem, fragile admodum & caducum animal, umquam dubitavit. Neq; nūquam antè hujusmodi casus tam tristes experti sunt. Bis jam intra pauculos annos suorum, eorumq; vix natorum, funera viderunt: quibus hoc tertium, idq; longe tristissimum, nunc adijeitur. Neque verò illa, quæ vulgares quoq; mentes non fugiunt, hisce incognita sunt, aut obscura: se, suos, ac sua omnia à Deo profecta: ad eundem, cum is velit, reditura. non esse ejus voluntati æquissimæ, & sapientissimo consilio repugnandum: cum præsertim non minus impiè id, quàm frustra fiat. non nesciunt, periculis eos omnibus ac molestiis, quibus infinitis, longeq; gravissimis vita hæc referta est, subtractos; qui piè ex ea ad meliorem ac beatiorē transierint, eamq; , quæ sola non modò vitæ, sed beatissimæ vitæ nomine digna. Non ignorant, feliciori hominem tempore decedere non posse, quàm quo nullis dum sinistris aut improbis sermonibus, nullis exemplis vitiosis corruptus animus tenellus, innocentiam suam, si qua homini reliqua, certè candorem & simplicitatem, servatori nostro tantopere in hac ætatula dilectam & prædicatam, ad creatorem suum & redemptorem integram perfert. Non ignorant, sibi suos, seq; suis redditum iri, idq; brevi; non divellendos ultra aut se-iungendos: cum in eadem ipsi æternitatis profecti fuerint templa, in quæ suos jam præmiserunt. Neq; illud deniq; ignorant,

norant, optimum illum & sapientissimum rerum condito-
rem ac moderatorem, & iis rectissime consultum velle, quos
maturè ad se revocat; & parentibus eorum, aut liberis, fra-
tribus, cognatis, necessariis, qui consuetudine eorum, con-
spectu, convictusq; agrè carent, acce in iucere desiderium in ea
loca migrandi, in quæ suos iam aut omnes, aut plerosq; dis-
cessisse compertum habent: ut cum iis, quos arctè com-
plexi fuerant, dum fata Deusq; sinebant, quos unicè ama-
rant, quibuscum amantissimè suavitissimèq; vixerant, æternis
gaudiis, in conspectu sanctissimæ Trinitatis fruuntur, pari-
terq; cum sanctis omnibus, quorum beatissimo coetui se ac
suos adscriptos vident, æternum illud numen, venerandam
coelestis regis majestatem, non per ænigmata verborum è
longo quasi intervallo videant atq; arbitrentur, sed coràm,
& (loqui ita fas sit) in vero suo vultu, qualis ipse est, à facie
ad faciem intueantur, admirentur, venerentur, & sine mo-
do ullo aut fine celebrent. His enim rebus æternam vitam
& felicitatem contineri non possunt dubitare, quum id sa-
cris literis docentibus ab inæunte ætate didicerint. Iis igitur
tam piis, & homine Christiano dignis meditationibus,
aliisq; id genus è sacris literis depromptis, hoc tam tristi suo
tempore, ac deinceps, animos suos, vulnere tam gravi fauci-
os, non parùm roborabunt, sat scimus, & modum luctui suo
ac dolori sapienter statuent. Sic enim suum sibi filiolum
hunc desiderandum existimabunt, ne meliorem ei vitam
invidisse, ne Deo reposcenti obsistere voluisse, ne apud se
atq; in his vitæ miseriis, quàm apud illum, in summa felici-
tate, & non æstimandis gaudiis rectius eum, ac tutius futu-
rum, beatioremq; fuisse vitam acturum, judicasse videantur.
Neq; tamen ita hominem (nec enim dicemus nunc paren-
tē) exsistere unquam poterunt, ut prorsus hoc tam tristi suo
casu non commoveantur. His quidem certè diebus, suavissi-
mi fi-

mi fidioli exfanguie corpusculum, dulces illas beata ani-
mula exfuias, & venustissimum generose mentis do-
micilium, sine dolore, sine genitu, sine lachrymis contuere
non potuisse; non posse nunc arculam illam funestam, quæ
corpusculum includit, non feretrum, quo id sustinetur,
non vestem stragulam, qua contegitur, siccis oculis ani-
moq; tranquillo adspicere, quis non credat? Quis verò po-
stulet, qui quidem norit, quæ hodie, quam raræ indolis,
quantæ expectationis puellam efferant? Iniquissimus pro-
fectò & inscitissimus fuerit, & haud satis hominis nomine
dignus, qui eo vel ex parte cognito, non modò parentibus,
hunc talem filiolum tam citò ereptum sibi dolentibus, eius-
que obitum lugentibus, non concedendum putet, sed qui
non ipse tam acerbo funeri lachrymas, certè doloris non ni-
hil impendat. Etenim, ut pauca hoc loco de eo dicamus,
de quo dici multa poterant, (quod in hoc puero, ac pæne
infante, ut alia pleraq; singulare est;) ita multa jam hac æ-
tatula ingenio erat ac memoria complexus, ut id, nisi
quis coràm vidisset, credisset, incredibile videri posset.
Quartum ætatis annum nondum compleverat. Iam tamen
præter preculas, quæ instillari pueris Christianorum à piis
parentibus solent, & certè debent, præter dicta item eximia,
è sacris literis deprompta, plurimas utriusq; Testamenti hi-
storias ita perceperat, ut cuivis poscenti eas non sine volu-
ptate referret. Præter eas verò tot Fabellas, partim AEsopi-
cas, partim poeticas, acutissimorū ingeniis hominum exco-
gitatas: nonnullas etiam historias alias, plurimaq; id genus
à parente aut domesticis sibi exposita inbiberat: idq; ita cu-
pidè, ut non temere, quod semel hauserat, excideret. Atq;
id tanto magis est mirandum, quod nondum literas legere
didicerat, ut iuvare ad miniculo earum memoriam posset.
Figuris tantum æneis, quibus mirificè delectabatur, quasq;
maxi-

maximè elegantes pater ei proponebat, hac in re utebatur. Eius generis libellos complures apud ipsum vidimus, quibus vti solitum pater narrabat. Hæ illi figuræ, voce parentis explanatæ, & usus Latini sermonis, non rerum modò plurimarum ac variarum notitiam conciliarant, sed tantam linguæ istius peritiam, ut loquentem eâ non saltem intelligeret, sed ipse etiam Latine, quæ vellet, non incommodè exprimeret, & quæ didicisset, de quibus diximus rebus, aliis exponeret. Quod cum omnibus inexpectatum accideret, & non expertis incredibile etiam videretur, qui audiebant, & coràm ita rem habere deprehendebant, in admirationem, propeq; in stuporem rapiabantur. Perspectum nempe in hoc puero est, quod nostris hominibus, præsertim non ratione rem æstimantibus, sed ad mores nostros, & ineptam perversamq; institutionis rationem respicientibus, impossibile videri solet, puerum, qui materna lingua vixdum uti cœpit, Latina etiam balbut. In initio, mox non incommodo loqui etiam posse, qui tamen non Grammaticorum modò regulas observare, sed ne literas quidem jungere didicerit. Utinam verò vel exemplo isto aut simili parentes admoniti, qui suos in literis educare statuunt, aliquantò eos rectius ad rerum & sermonis aliquam scientiam ducant, quam ipsi olim ducti sumus! Utinam verò magistratui, cui debebat, hæc res, quantæ par erat, curæ sit! non ita graviter homines ex inscitia, non omni ex parte, ut nunc respub. laboraret. Verùm hæc nescio an frustra optemus, certe speremus. Hujus quidem loci temporisq; non sunt. Illud tantum intelligi volumus, miram ingenii ac memoriæ vim, miram discendi alacritatem in hoc puerulo fuisse, qui nunquam, discendo defatigari visus est; ipse parentem & alios familiares quærendo fatigavit sæpius. ac si propter occupationes ipsi pater vacare, & desiderantem aliquando, quæ

quæ ignoraret, scireq; cuperet, docere non posset, lachri-
mans non rarò discessit. Qui dies supremus ipsi in his terris
fuit, eo donatus quibusdam tabulis ab adolescente quodam
studio fuit, quibus historia Tobia expressa fuerat. Eas cū
per morbum omnes perlustrare non posset, primam tan-
tum earum inspexit: in qua mortuum efferri quendam, &
sepulcrum delineatum viderat, tacitusq; annotauerat. Ve-
speri, non multis horis antè quàm decederet, patrem his
verbis Latinis compellabat: Mi pater, dic mihi aliquid de
Tobia, vbi effertur mortuus, & de sepulchro. Cumq; is
tabulas illas ei offerret, (nec enim id officii, tam pium præ-
sertim, dulcissimo negare filio potuit) allevato capite, quæ
demonstrabantur, etiam tum, imminente jam fatali hora,
didicit. Vt non Solon tantum, morientē quoq; se didicisse,
jactare potuerit; nec Iulianus Iurisconsultus ardorem hoc
in genere suum proderet, ut præcipuum, debuerit. Infans hic
vix certè puer, hac eos in parte æquasse, si non superasse,
videri possit. Vt mirum etiam videri nemini debeat, si inter
convictores parentum, singulis in prandio & cœna, loco
symbolæ dictum aliquod eximium referentibus, ipse nun-
quam non suum quoque attulerit, quasiq; symbolam dede-
rit; neq; tamen bis eodem dicto usus temere fuerit. Pieta-
tem eius & obsequium parentes non sine gaudio umquam
recordabuntur. Quos quidem ita verebatur, ut nec
in minimis sciens offenderit. Morti jam vicinus
quum ultra quinque hebdomadas, uno in latere sinistro
recumbens, incredibili patientia morbum sævum sustinuis-
set, piè ac placide, quo die dictum, exspiravit, ea voce missa,
In cœlum se ad Deum, ubi sancti angeli vivunt, demigrare
velle. Et quis dubitet, quin in choro eorum hodie beatif-
simus agitet, Deumq; creatorem, & Christum liberatorem
suum, cum Spiritu sancto coràm videat, & sine fine prædi-
cet?

et hæc, multaq; alia istis nõ inferiora, verè de beato hoc pu-
ero scribi posse norunt, qui sæpe eũ, adeoq; assiduè viderũt
audieruntq; vel qui semel tantum iterumq; ingenii eius pe-
riculum fecerunt. Quod ita Deo placuisse, ut is quàm pri-
mum puellum ad se revocare voluerit, non est dubitan-
dum. Quem si terris non modo ostendere, sed commodare
diutius voluisset, magnum exemplum singularis viri, (quis
enim ambigat?) extitisset ætate matura. Parentibus quidem
certe gaudio, amicis voluptati, suis præsidio, patriæ lau-
di & gloriæ, fortè etiam præsidio olim magno esse potuisset.
Cum aliter ipsi visum, æquo animo ferendum, quod sapi-
entissimo & justissimo gubernatori placuit. Mœstissimis pa-
rentibus solatium ab eodem precabimur, & quæ diximus
hora in funus frequentes prodibimus. Vos quoq; studiosi
adolescentes, hoc minimè cuiquam graue officium, siue no-
bis rogantibus, siue parentibus tristissimis, siue memoriæ
festivissimi atq; elegantissimi puelli non inuiti dabitis, &
de fragilitate vestra atq; officio nullo tempore co-
gitare desinetis. Valete. P. P. XVI. Kal.

Febr. id. Id. cXXI.




V 17



innumeris gratiis et benedictionibus hanc
viam. hanc **X** innumera hanc sancta **X**
innumera illibata. **X** in primis que tibi
innumus pro ecclesia tua sancta catholica
innumificac custodie. adiuuare. et regere
innumus toto orbe terrarum. una cum familia tua
innuma. Rege. innumo **S** familia nostra **S** et omni
innumo orthodoxis catholice et apostolice fidei
innumo toribus. **M**emento dñe famulorum famu
innumo rum tuarum. **S** et omni circumstantium quorum
innumo fides cognita est. et nota deuotio pio quibus
innumo tibi offerimus. et qui tibi offerunt hoc
innumo sacrificium laudis pro se suis et omnibus pro
innumo ratione animarum suarum. pio spe salutis. et
innumo incommunitatis sue tibi reddunt vota sua
innumo eterno deo uiuo et uero **O**mnium





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



STADI,
ACOBI LUCI,
 loc XXI,
 HENRICI
 CHII,
 & summæ exspe-
 pueruli
 P.
 IULIA

